

## D E C L A R A T I O T E R M I N O R V M .





**R** A E N V M E R A N S ea quæ ab ipso exponenda sunt theoremata, ut consuetum est omnibus Geometris in expositione, seruans quoque appellationes quibus ipse per licentiã usus est: primò terminationes suppositionum, & ipsas quoque suppositiones in initio scribendi uult declarare. & ait primò, Quasdam esse in plano curuas lineas, quæ lineis rectis earum terminos iungentibus, uel omnis in eandem partem uergunt, uel aliquid in alteram habent. Hoc autem quod dictum est, planum erit, si intellexerimus quas appellat in plano curuas lineas. Quare aduertendum est, curuas ab eo lineas appellari non simpliciter circulares, aut conicas, aut eas quæ continuitatem habent non fractam: uerum eas omnis simpliciter, quæ in plano cum sint, nõ in directum producantur, curuas uocat. Vnam autem lineam in plano quocumque modo connexam, quãuis siue ex rectis pluribus connectatur, siue ex curuis, siue ex rectis & curuis, unam tamen eam ex ea connexione postulat appellari.

*Hic deest una charta in exemplari græco.*


ipsi a b c d. Verum quoniam uti supra dictum est, curuas lineas uocat non quæ circumferentiam habent solas, uerum etiam eas quæ ex rectis componuntur: ex his erat collectio earum quæ in eadem caua habentur. Continget enim in quadam linea, quæ in eadem caua sit, duo utcumque puncta notari, ita ut linea recta quæ illa puncta iunxerit, in

neutram prioris lineæ partem cadat, sed ipsi coaptetur. Propterea dixit, lineam in eandem cauam esse uocari, in qua lineæ rectæ, per duo quæque e-



ius puncta ductæ, aut omnis in easdem partes cadant rectæ lineæ, aut earum quædam in easdem partes, quædam super eam, & nulla in alteram partem. Eisdem uero licet interpretari, & in superficiebus.

Deinde ex ordine nominat frustum solidum, & rhombum solidum, aperte declarans significationem nominum. Post hæc petitiones quasdam sumit, quæ sunt ei opportunæ ad demonstrationes sequentes, quæ quidem ex ipso sensu confessæ habentur: nihilominus tamen demonstrari ex communibus conceptionibus, & ex his quæ demonstrata sunt in Elementis, possunt. Est autem petitionum prima huiusmodi: Linearum omnium, quæ eisdem terminis continentur, rectam esse breuissimam. Esto enim in plano linea recta terminata hæc a b: & altera item linea quædam a c b, eisdem contenta terminis a b, postulat sibi concedi ipsam a b minorẽ esse ipsa a c b. Dico igitur, quod hoc cum uerum existat, petitum est. notetur itaque in ipsa a c b, utcumque punctum c: & iungantur a c, c b, constat ergo, ipsas a c, c b esse ipsa a b maiores. Item sumantur in ip-



sis